(4)

COMPENDIVM

in vniuerſam Dialecticam, ex *RIVIO ALIISQVE RE-centioribus collectum.*

Cui acceſsit breuiſsima & vtiliſsima de Demonſtratione & Locis tractatio.

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ DE FRANCE.

PARISIIS,

Ex Typographia Thomæ Richardi, ſub Bibliis aureis, è regione collegij Remenſis.

1560.

Summa

Philosophandi summam Platonici seu potius Stoici tripartito diviserunt in naturae observationem in [illegible] mores in [illegible] subtilitatem [illegible] Dialecticam [illegible] [illegible] philosophiae [illegible] [illegible] Dialectica pars philosophiae [illegible] [illegible] compendium [illegible]

Compendium in vniuersam DIALECTICAM, EX RIVIO, aliisque authoribus collectum.

Dialectica, ars est de qualibet re proposita diligenter disserendi. Quam Zeno pugno similem, Rhetoricam verò palmæ esse ait, quòd loquuntur copiosius Rhetores, Dialectici compressius. Disseritur autem de quæstione, quæ idcirco dialecticæ materia dicitur. Ea est, res proposita de qua agitur & disceptatur, quod thema vocant: siue in dubitationem ambiguitatémq; adducta propositio. Cuius partes sunt subiectum, siue minor extremitas: & attributum, siue maior extremitas. In quæstionibus autem, itemq; propositionibus, quæ ad quæstionem adhibentur, spectantur maximè quinq; voces: Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. Quarum cognitio præterquam quod ad definiendum, diuidendum, & pronunciatorum naturam intelligendam conducit, vtilis est etiam ad inuentionem argumenti seu medij. Ex his enim intelligitur affinitas dictionum inter se, cuius in argumento reperiendo maximus est vsus.

De quinque vocibus.

Genus, est nomen commune multis formis: de quibus idem dicitur, & in definitione illarum primùm occurrit: Cui respondet notio, quæ sui similes communione quadam, specie autem differentes, duas plurésve complectitur

parteis. Cùm autem in singulis ordinibus decem categoriarum vnum summum sit, alterum imum, interiecta verò multa: quod summum est, genus supremum appellant, vel generalißimum: quod imum, speciem infimam, vel specialißimā: media autem, subalterna, quæ duos respectus habere dicuntur. Nam si ad superiora referentur, eorum species esse dicuntur: si verò ad inferiora, genera: vt animal, ad corpus animatum & hominem.

Species, quam Cicero aliquando partis, aliquando formæ nomine intelligit, est nomen cōmune, sub quo indiuidua proximè cōtinentur: siue quæ generi, ex quo emanat, subiicitur. Hæc autem si intermedia sit, relata ad inferiora, generis naturam accipit: si infima, vnam tantùm habet relationem ad superiora: eam verò quæ est ad inferiora, non diuersam habet. Quanquam verè ab Agricola dictum sit, eam indiuiduis collatam, generis formam accipere.

Differentia, quæ species eiusdem generis discernit. Quæ triplex esse dicitur: Communis, qua res differunt accidente diuiduo: Propria, qua accidente indiuiduo: Tertia autem maximè propria, quæ à duobus officiis, diuidendi nempe & constituendi, alio & alio nomine, vt est specifica, appellatur. Hæcque sola ad tertiam vocem pertinet, superiores duæ ad quartam & quintam.

Proprium id verè dicitur, quod vni soli speciei, & omnibus indiuiduis eius conuenit: quomodo quartam vocem constituit. Distinguitur autem à differentia, quòd illa partem naturæ indicet, hoc functionem ipsius speciei, & quid sequens ipsam rem constitutam. At quodam abusu proprium aliis tribus modis sumitur. Nam aut dicitur, quod

vni tantùm speciei conuenit, sed non omnibus indiuiduis eius vt medicum esse homini: aut quod omnibus indiuiduis conuenit, sed non soli speciei, vt homini bipedem esse: tertio quod soli speciei, & omnibus indiuiduis eius, sed non semper, vt canescere.

Accidens est quod significat rem, quæ potest adesse & abesse citra subiecti perniciem & interitum: siue quod non per se subsistit, nec est pars substantiæ, sed in alia est mutabiliter. Quanuis autem pleraque accidentia ita hæreant in substantia, vt inde non separentur, velut in niue candor: subiectorum tamen perfectam naturam sine accidentibus concipere possumus: quo modo accidentia, quæ vocantur inseparabilia, intelligentia separari vulgò dicuntur.

De decem Categoriis.

OMnia ista genera, & species rediguntur in certos ordines, atque inde nascuntur ea quæ vocant prædicamenta: quorum cognitio efficit, vt omnium rerum in vniuersa natura comprehendi ordo queat. Ex quo cùm ad alia multa, tum ad reprehendendas rerum definitiones, erimus promptiores. Rerum autem, siue entium duo genera sunt, substantia & accidens: ex quibus nascuntur decem categoriæ: Substantia, Quantitas, Qualitas, Ad aliquid, Agere, Pati, Vbi, Quando, Situm esse, Habere.

Substantia, est res per se ipsa constans, nec alio indigens vt sit: vel id quo ceu fundamento accidentia nituntur. Ea diuiditur in primam & secundam. Prima, quæ propriè & præcipuè cohæret, ac sub aspectum ferè cadit: vt indiuiduũ, quod nec in subiecto est, nec de alio dicitur.

Secunda communis res est, cui respondet notio, quam animus è multarum rerum quæ sensibus percipiuntur similitudine collectam, in vnam formam effingit: qualis species & speciei genus.

1 Commune autem est omni substantiæ, in subiecto non esse.

2 Substantia non recipit magis & minus.

3 Substantiæ inter se disparatæ & diuersæ dicuntur, contrariæ verò minimé.

4 Maximè verò huic proprium est, quod cùm sit vna & eadem numero, contraria suscipiat.

Quantitas est qua res in spatia ac numeros diuiduntur. Quæ duplex est, Continua, qua res in spatia: Discreta, qua res in numeros partimur. vel continua, cùm quærimus quanta res sit: discreta, quot sint. Ad quantitatem continuam pertinent, linea, quæ est longitudo sine latitudine & profunditate: superficies, quæ est latitudo sine craßitie seu profunditate: corpus, quod constat tribus dimensionibus, longitudine, latitudine, & craßitie. His addunt tempus & motum: quæ quidem ad quantitatem, quam mobilem vocant, referunt. Discreta quantitas est, cuius partes à se ipsæ seiunctæ sunt: Cuius duo genera, numerus & oratio.

1 Quantitati nihil est contrarium.

2 Quantitates non suscipiunt magis & minus, sed maius, minus.

3 Id autem illi maximè proprium est, vt secundum eam aliquid æquale vel inæquale, par vel impar dicatur.

Qualitas, est corporis vel animi quædam affectio, ex

qua denominatio aliqua ducitur, siue secundum quam dicimur esse quales. Huius quatuor sunt genera: primum habitu & dispositione continetur. Est autem habitus, qualitas multis actionibus firmata, vt non facilè à subiecto diuellatur. Actiones autem nondum confirmatæ, quæ ipsos habitus antegrediuntur, dispositiones vocantur. In secundo genere sunt naturalis vis & imbecillitas: quo modo quidam salubres, alij insalubres, siue valetudinarij appellantur. In tertio, passio & patibilis qualitas. Hæc manet diutius, illa statim euanescit: vt à quibusdam in controuersiam reuocatum sit, essétne passio qualitas censenda. Patibiles qualitates sunt, dulcedo, amaror, humiditas, siccitas, rubor contractus ex verecundia, vel pallor ex timore. Quæ idcirco sic appellantur, quòd vel passionem adferant sensibus cùm percipiuntur, vel quòd à passionibus & perturbationibus nascantur. Quartum genus constituunt, figura, quæ ad res inanimatas: & forma, quæ ad animatas pertinet.

1 Contrarietas qualitatibus inest, quanquã non omnibus.

2 Qualitas recipit magis & minus, sed non omnis.

3 Maximè autem huic proprium est, vt secundum eam res similes aut dissimiles esse dicantur.

Relatio, eorum est, quorum non est absoluta natura, sed ab aliis semper dependens: Vel quorum natura in eo consistit, vt ad aliud referantur. In tribus autem superioribus categoriis quæ aliò respiciunt, nituntur: quorum ea est natura, vt vnum sine altero intelligi non possit, neque item definiri, simúlque oriantur, constent & desinant, vt præceptor & discipulus.

COMPENDIVM.

1 *Relata magis & minus suscipiunt, sed non omnia.*

2 *Inest contrarietas quibusdã ex his quæ sunt ad aliquid.*

3 *Omnia quæ sunt ad aliquid, ad conuertentia dicuntur: vt, Pater filij pater: & Filius patris filius.*

4 *Relatiua simul sunt natura.*

Actio, est quædam applicatio & admotio agentis ad patiens. Quædam est naturalis, vt gignere: alia voluntaria, vt actiones ciuiles & artificum, vt ædificare, pingere.

Paßio, est quidam actionis effectus: quædam corporis, vt calefieri: alia animi, vt irasci.

Vbi, est quæ à loci circunscriptione procedit corporis locatio: neque enim idem est locus & vbi.

Quando eadem ratione se habet ad tempus, qua vbi ad locum.

Situm esse ad ea pertinet, quæ significant gestum aliquem & modum positi corporis, vt iacere, sedere, stare.

Habere ad ea, quibus vestiendi ratio significatur, vt galeatum esse, palliatum.

Obseruandum autem est decem hæc genera non re magis, quàm ratione discreta esse: omnia enim ad substantiam referuntur, & huic innituntur.

De terminis.

HÆ voces simplices, quæ decem ordinibus continentur, cùm enunciationem componunt, eius termini appellantur: quòd his tota propositionis natura claudatur & absoluatur. Quorum cùm variæ sunt diuisiones, hæ maximè præsentis instituti esse videntur. Termini quidam sunt primæ impositionis, quibus ea nomina continentur,

quæ primò declarandis rebus imposita sunt. Deinde cùm istorum primorum nominum quædam proprietates secundis nominibus essent designatæ, hæc secundæ impositionis appellata sunt: qualia sunt ea, quibus in tradenda hac arte frequentißimè vtimur, Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens.

Est & alia terminorum diuisio, vt sint quidam simplices, alij complexi. Simplices, qui pluribus dictionibus non constant. Complexi, qui pluribus dictionibus non constituentibus vnam, quorum ratio in duobus est posita. Aut enim constituuntur duabus, pluribusue dictionibus, vnam quodammodo naturam efficientibus, vt oratoria facultas. Aut his quarum ita dißideat significatio, vt coniunctæ vnum per se efficere non poßint, vt homo albus. Sed hæc satis de terminis. nunc de propositionibus, quæ ex his componuntur.

De enunciatione.

Enunciatio, est oratio perfecta, verū vel falsum significans. Enunciationum quædam simplex, alia composita: illam categoricam, hanc hypotheticam appellant. Quæ constant subiecto & attributo. Subiectum, nomen esse solet, de quo aliquid enunciatur. Eorum autem quæ de altero dicuntur, nota est ipsum verbum.

Nomen, est vox quæ significat ex hominum impositione, sine tempore, cuius partes disiunctæ nihil significant. Quod duplex est, Finitum, vt homo: Infinitum, vt non homo. quod Aristoteles ait tam esse in eo quod est, quàm in eo quod non est. Verbum, vox est significans ex hominum impositione, cum tempore, cuius partes, vt & nominis, sepa-

ratæ nihil significant. Quod etiam in infinitum & finitum diuiditur. Propositionum, quæ ex his componuntur, diuisiones plures sunt. 1 Quædam enim affirmatiua est, in qua prædicatũ de subiecto affirmatur: alia negatiua, in qua prædicatum à subiecto ipsa negatione remouetur. Nec necesse ipsam negationem semper exprimi, satis est si inclusa intelligatur: vt hæc, distat à crudelitate seueritas, quanquã affirmatiua videatur: huius tamen negatiuæ vim obtinet, non est eadem cum crudelitate seueritas. 2 Item quædam vera est, alia falsa: vera, si cum re consentiat: falsa, si dissentiat. 3 Propositionum alia vniuersalis, cùm subiecto præponitur signum vniuersale, vel affirmatiuum, vt omnis homo ambulat: vel negatiuum, vt nullus homo ambulat. Alia particularis, cùm ipsi subiecto præponitur signum particulare, siue affirmatiua, siue negatiua sit propositio: vt, aliquis homo ambulat. Alia indefinita, cùm subiectum, quod natura vniuersale est, non definitur, neque addito vniuersali, neque particulari signo: vt, homo ambulat. Postrema singularis, in qua vel species, vel differentia, vel proprium, vel accidens de indiuiduis solet enuntiari. 4 Est & alia diuisio quæ à materia ducitur, secundum quam propositiones necessariæ dicũtur, in quibus prædicatum subiecto necessariò inhæret. Aliæ contingentes, quarum prædicata subiectis aliquando insunt, aliquando non.

De Oppositione.

In his propositionum generibus conferendis nascitur oppositio, quæ dicitur esse affirmatio & negatio eiusdem de eodem. Affirmatiua autem & negatiua vniuersales

opponuntur contrariæ: quæ simul veræ nunquam esse possunt, falsæ autem plerunque. Affirmatiua & negatiua particulares, subcontrariæ. Eas in contingentibus aiunt simul veras esse posse, falsas nunquam. Vniuersalis affirmatiua & particularis negatiua, aut vniuersalis negatiua & particularis affirmatiua, contradictoriæ sunt. Quæ semper verum à falso seiungunt; vt si vna vera sit, falsam alteram: si vna falsa, veram alteram esse necesse sit. Subalternæ autem vniuersalis & particularis affirmatiuæ, aut vniuersalis & particularis negatiuæ, propriè non opponuntur: quoniam earum vna in altera continetur, nisi fortè quantitatem spectes.



De conuersione propositionum.

Sequitur propositionum conuersio, quæ ad syllogismorum reductionem, aut ad propositionum copiam excogitata videtur. Quæ fit, cùm terminus subiectus in prædicatum, prædicatus in subiectum transponitur. ea autem duplex

est. Simplex, cùm manet in vtraque eadem quantitas & qualitas: quo modo vniuersalis negatiua & particularis affirmatiua conuertuntur. Per accidens, cùm mutatur quantitas, qualitas verò eadem manet: quo modo vniuersalis affirmatiua in particularem affirmatiuam conuertitur. Adiiciunt quidam conuersionem per contrapositionem, cùm quantitas quidem, & qualitas eadem manet, termini vero transpositi, finiti in infinitos commutantur: quo modo vniuersalis affirmatiua & particularis negatiua conuertuntur. Nam si omnis homo spirat, quicquid non spirat, non [redacted] homo. Quod genus conuersionis quidam ad locos ab antecedentibus & consequentibus reuocare malunt.

De Syllogismo.

Ex his argumentationes componuntur, quarum ea perfectissima quæ ratiocinatio siue syllogismus appellatur. Est autem oratio, in qua quibusdam positis, aliud necessariò consequitur, vi eorum quæ posita sunt: in qua duo spectatur, materia & forma. materia aut vniuersalis, quæ communis & remota dicitur, posita in tribus terminis, & duabus propositionibus cum conclusione, aut propria ex qua syllogismi tria genera nascuntur. Nam si constat probabilibus, dialecticus nuncupatur, si certis & necessariis, demonstratio vel apodixis, si fallacibus & captiosis auditores circunuenire vult, litigiosus vel captiosus dicitur. Forma autem est connexio ipsius medij termini cum duabus partibus quæstionis, subiecto & prædicato. Quæ secundum tres figuras, triplex constituitur. Medium enim si subiicitur prædicato quæstionis in maiore propositione, & prædicatur

de subiecto quæstionis in minore, siue assumptione, prima figura constituitur. Cuius quatuor modi sunt expreßi à dialecticis quatuor vocalibus ad iuuandam memoriam aptißimis, Barbara, Celarent, Darij, Ferio. in quibus quatuor vocales reperies, quarum A & E significant propositiones vniuersales, illud affirmatiuas, hoc negatiuas. I & O propositiones particulares, illud affirmatiuas, hoc negatiuas.

Primus igitur modus erit, in quo ex duabus vniuersè affirmantibus concluditur vniuersè affirmans hoc modo,

Bar——Omne animal sentit,
ba——Omnis homo est animal,
ra——Ergo omnis homo sentit.

Secundus, in quo ex maiore propositione negatiua, minore affirmatiua vniuersalibus, colligitur negatiua vniuersalis.

Ce——Nullum animal sensu caret,
la——Omnis homo est animal,
rēt——Ergo nullus homo sensu caret.

Tertius, in quo ex prima vniuersali, secunda particulari affirmatiuis, colligitur particularis affirmatiua.

Da——Omne animal sentit,
ri——Quidam homo est animal,
i——Ergo quidam homo sentit.



Quartus, in quo ex maiore vniuersali negatiua, minore particulari affirmatiua, negatiua particularis concluditur.

Fe——Nulli impij sunt beati,
ri——Quidam diuites sunt impij,
o——Ergo quidam diuites non sunt beati.

In quibus modis obseruandum est, si minor neget in hac figura, nihil omnino sequi, aut si maior sit in parte. Itemque

duos posteriores modos à duobus superioribus, velut partes à toto esse deductos.

De secunda figura.

Secunda figura est, in qua medium prædicatur de vtraque parte quæstionis. Cuius modi quatuor sunt: duo vniuersales particulares, Cesare, Camestres, Festino, Baroco. In quibus idem quod in superioribus obseruandum.

Primus modus est, in quo maiore negatiua, minore affirmatiua, vniuersalibus, sequitur negatiua vniuersalis.

Ce——Nemo prodigus est auarus,
sa——Omnes fœneratores sunt auari,
re——Ergo nullus fœnerator est prodigus.

Secundus, in quo maiore affirmatiua, minore negatiua, vniuersalibus, concluditur negatiua vniuersalis.

Ca——Omnes inuidi mœrent alienis bonis,
mes——Nullus sapiens mœret alienis bonis,
tres——Nullus igitur sapiens est inuidus.

Tertius, in quo maiore vniuersali negatiua, minore particulari affirmatiua, sequitur conclusio particularis negatiua.

Fe——Nemo beatus est in mœrore,
sti——Quidam diuites sunt in mœrore,
no——Quidam igitur diuites non sunt beati.

Quartus, in quo maiore vniuersali affirmatiua, minore particulari negatiua, colligitur particularis negatiua.

Ba——Omne honestum propter se expetitur,
ro——Quoddam vtile non expetitur propter se,
co——Quoddam igitur vtile non est honestum.

Huius figuræ vitium illud proprium est, si maior propositio particularis sumatur. Obseruandum autem, quemad-

modum in superiore figura, duos posteriores modos à duobus prioribus tanquam partes à toto pendere.

De tertia figura.

Figura tertia est, in qua medium subiicitur vtrique parti quæstionis. Cuius modi sex sunt, his vocabulis expreßi: Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Primus huius figuræ modus est, in quo maiore & minore, vniuersalibus affirmatiuis, particularis affirmatiua concluditur.

Da—Omnis homo est rationis particeps,
rap—Omnis homo est animal,
ti—Ergo quoddam animal est rationis particeps.

Secundus, in quo maiore negatiua, minore affirmatiua, vniuersalibus, colligitur particularis negatiua.

Fe—Nulla virtus est fugienda,
la—Omnis virtus est cum labore,
pto—Ergo quidam labor non est fugiendus.

Tertius, in quo maiore particulari, minore vniuersali, affirmatiuis, particularis affirmatiua concluditur.

Di—Quidam homo est mortalis,
sa—Omnis homo est animal,
mis—Ergo quoddam animal est mortale.

Quartus, in quo maiori vniuersali, minore particulari, affirmatiuis, concluditur particularis affirmatiua.

Da—Omnis homo est mortalis,
ti—Quidam homo est animal,
si—Ergo quoddam animal est mortale.

Quintus, in quo maiore particulari negatiua, minore vniuersali affirmatiua, concluditur particularis negatiua.

Bo—Aliquis homo non est ignauus,
car—Omnis homo est animal,
do—Ergo quoddam animal non est ignauum.

Sextus, in quo ex maiore vniuersali negatiua, minore particulari affirmatiua, concluditur particularis negatiua.

Fe—Nullus homo est immortalis,
ri—Quidam homo est animal,
son—Ergo quoddam animal non est immortale.

In hac postrema figura, vitiosa erit conclusio, si minor sit, negatiua. In modis verò sex hoc obseruandum, tertium & quartum oriri à primo, quintum & sextum à secundo.

Generales omnium figurarum leges.

EX verò antecedente vera semper infertur conclusio. Vnde qui datis duabus præmissis, cōclusionem negat, is nihil aliud, quàm formam syllogismi reprehendit.

2 *Ex duabus negantibus nihil rectè concluditur.*

3 *Propositionum quæ præmissæ sunt, necesse est alteram vel vtranque vniuersalem esse.*

4 *Propositionum alteram, negantem sequitur conclusio negans: alterutram vt in parte sequitur conclusio in parte.*

De reliquis argumentationum generibus.

DE syllogismo dictum est: nunc reliquas formas persequamur, Enthymema, Inductionem, & Exemplum, quibus addunt Coaceruationem. Enthymema definiri solet, mutilata argumentatio: quòd de syllogismo, si propositionem, aut assumptionem detrahas, Enthymema nascatur. Rhetoricum syllogismum appellant, quoniam, vt est apud Aristotelem, quemadmodum in dialectica fides fit per syllogismum & inductionem, sic in rhetorica per Enthymema

& exemplum. Hoc Fabius commentum vel commentationem interpretatur, significaréque ait aliquando omnia mente concepta, aliquando sententiam cum ratione, postremò certam argumentandi formam, vel ex consequentibus, vel ex repugnantibus.

Inductio ex multis singulis uniuersale colligit. Illa autem multa vnius antecedentis vim habent. Quòd si in antecedente singula recensere infinitum videatur, addendum illud (in cæteris fieri eodem modo) aut si nō omnia enumerentur, nec illa clausula addatur, rhetoricam inductionem vocant: quòd non tam ad conuincendum, quàm ad rudiorē quasi manu ducendum valeat. Alia, quæ plurimùm in sermonibus est vsus Socrates, in qua ex multis peruenitur ad id simile, quod volumus.

Exemplum est, argumētatio, in qua vnum ex altero propter quandam similitudinem colligitur. Eaque ad inductionem, vt Enthymema ad syllogismum refertur.

Exemplorum autem, vt post Aristotelem docet Cicero, duo genera sunt. Nam alterum rei gestæ, alterum fictæ, & vt gestæ commemoratione nititur. posterius hoc in duobus positum est, similitudine & apologo.

Restat coaceruatio Stoicis familiaris, quam Soritem vocant. in qua ab inferioribus ad superiora quasi per gradus sic ascendimus, vt prioris propositionis prædicatum sequentis subiectum fiat. Captiosum plerunque genus argumentandi: vt, quod bonum, lætabile est: quod lætabile, id prædicandum, & præ se ferendum: quod autem tale, id etiam gloriosum: si verò gloriosum, certè laudabile: quod autem laudabile, profectò etiam honestum: quod bonū igitur, id honestum.

COMPENDIUM

De Demonstratione.

SEquitur demonstratio, id est, euidens probatio. hęc duplex est: vna necessariò rem esse docens, sed quæ ab effectis vel remotis causis procedit: altera affectionem generi subiecto inesse quoque necessariò declarans, sed cur insit, causam propria ostendit. Hæc itaque tribus velut partibus constat; genere, subiecto, propria rei causa, (quæ principium vel per se, vel in enunciationis coniunctione dicitur) & affectione. Principiũ verò tripartitò diuiditur: in axiomata, theses & hypotheses. illa quia menti innata nullo nostro studio comparantur, sed quia ex se fidem faciunt, dignitates appellãtur. Hæ etsi quodammodo demonstrari possunt, non tamen in qua scientia sumuntur: in qua demonstrans sua authoritate sibi concedi nonnunquam petit, ne scientiæ tradendæ ordo perturbetur: atque quia in aliud tempus probanda traducũtur, postulata vocat: hisque definitiones annectunt vt thesibus subiectas. Porrò in his tractandis non aliam ratiocinandi formam quæras, quam quæ in dialectico syllogismo explicata est.

De locis Dialecticis breuis tractatio.

SEquuntur locorum nomina, quæ alteram dialectices partem vulgò constituunt: vnde eruuntur argumenta vel omnino effecta ad id de quo quæritur, vel quodãmodo. Omnino autem: vt Definitio, Rhetorice est bene dicendi sciẽtia: vt partium enumeratio, Ciuis omnis aut natus est, aut factus: vt Etymologia, Antonius non est consul, quia Reip. non cõsulit. Quodammodo: vt coniugata, (quibus annectuntur casus) iugulum det Milo, qui Clodium iugulauit: vt Genus, Virtutis non est agere malignè, quare prudentia malitia fallendi non est: vt Species, (in quã singula continentur) si furtũ

est, vitium est: vt Differentia, cui in substãtia, idem: in quãtitate, par: in qualitate, simile opponitur. Rationis est particeps, qui totum vitæ cursum prouidet: vt Contraria quatuor generibus distincta. Aduersis, vt sunt bonum, malum: Priuantibus, cæcum, videns: Relatis, dominium, seruitus: Negãtibus, iustum, non iustum: Coniuncta, venenum dedit nouerca: vt Antecedentia, incumbente mari procella, sequitur fluctus: vt Consequentia, messis est, igitur satum est: vt Repugnantia, noces ei quem diligis: vt Causa, auarus nunquam quiescit: vt Effecta, titubat, ergo ebrius: vt comparatio à maiori, qui sacrilegium facit, faciet & furtum: vt à minori, qui facilè ac palàm mentitur, peierabit: vt à Pari, qui ob rem iudicandam pecuniam accipit, & ob dicendum falsum testimonium accipiet.

De locis fallacibus.

HIS quæ veræ sunt & stabiles argumentorum sedes, accedunt minus attentè prouidenti non ita dissimiles, re ipsa tamen fallaces, atque partim e verbis, partim e rebus nascuntur, quas omnes vitare poterit is, qui eas ad veram Elenchi definitionem examinabit: vt nec homonymia, nec ambiguitate vlla velut inuolucris integantur.

FINIS.